

*Strenuus implacidis: illic tua monstra trucesque,
Impie Drave, feras, hominum sola ora gerentes;
Aurum alibi, nostro discrimine larga suoque,
India fomentum belli nimis utile mittit.
Cætera si rerum spectes, ad Erynnies atras,
Ex imo quæ nunc in nos Acheronte cientur,
Medeæ accedat pars ut quoque justa cruenta,
In raptum à profugo juratur Iasone vellus
Infestis animis, & quæ diademata mundi
Sperat lbera domus quasi voto destinat illi
(Huic semel obstandum, aut semper sub fasce ge-
mendum est)*

*Agrippinensis fœdus mirabile Rheni,
Grexque petens liquidam Gallo indignante Mo-
sellam.*

*Hic furor, hac extrema placet pereuntibus ira,
Hoc non imbelli pereunt fera pectora letho;
Ut per odorisequos extra sua lustra molossos
Raptus aper certusque mori, venabula saltu
Excipit impavido rigidis minitantiæ setis,
Et formidatos Spartanis imprimat ungues,
Instantesque fugit simul, & fugientibus instat,
Tandemque hostili absolvit sua fata cruore.*

*Quare agite, hanc patriamque laresque & sa-
cra tueri*

Queis